



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Constantinus magnus paulo postquam sacrosancto baptismate
initiatus erat, excedēs è vita, in sanctorum apostolorum templo cõditus
est. Cap. XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

quòd dedignatus esset consecrationem templi Hierosoly-
mis extructi sua presentia honorare. Causa autem, cur Mar-
cellus accusatus sit, fuit Asterius quidam sophista Cappa-
docia, qui cū libros de religione Christiana, opinioni Arij
consentientes scripsisset, per oppida circumcurfare, eosque
episcopis demonstrare cœpit, conciliis deniq; vbiq; con-
uocatis interfuit. Cui Marcellus contradicens, in opinionē
Pauli Samosatēni, seu sponte, seu imprudens, nescio, dela-
psus est. Verū postea, cum in concilio Sardicensi ratione
ostendisset se haud quaquam ita sensisse, ad episcopatū de-
nuo restitutus est.

*Quòd Constantinus magnus paulo postquam sa-
cro sancto baptismo initiatus erat, excedēs ē
vita, in sanctorum apostolorum templo cōditus
est.*

CAP. XXXII.

IMperator autem, cum iam antea imperium filijs suis Ca-
saribus distribuisset, & partem illius, quæ vergit ad occi-
dum solis Constantino & Constantio, partē autem ad O-
rientem spectantem Constantio assignasset, quoniam cor-
pore agro iam & languenti fuit, ideo Helenopolim adue-
nit, balneis sua natura calidis vsurus. Ac cum morbo vehe-
mentius vrgeretur, Nicomediam deportatus est. Ibi autem
cum in suburbij commoraretur, sacrosancto baptismatis
mysterio initiatus est. Qua re magnopere delectatus, grati-
as egit deo. Factoq; testamento, imperium filijs, vt supra
demonstratum est, dispertiuit. Romæ autem antiquæ, &
Constantinopoli priuilegia quædam præ cæteris eximia re-
liquit testamentum commisit presbytero illi, quem tamen
Arij fautor fuit, tamen ob vitæ integritatem Constantia so-
ror eius iam moriens commendauerat. Cui iureiurando a-
stricto mandauit, vt Constantio, simul vt accēderet, illud
daret. Nam neq; iste, neque alius ex cæsaribus patri moriē-
ti præsto aderat. Quæ cum imperasset Constantinus, ad pau-
cos dies vitam propagans, circiter quintum & sexagesimū
ætatis suæ annum moritur. Ex quorū annorum numero tri-
ginta & vnum regnavit: Christianæ religionis fautor ma-
ximus, quippe qui primus imperatorū ad ecclesiā amplifi-
candam

candā acri studio incubuerit, & eius splendorē ad summū
 perducere laborarit. In reb⁹ itē, quas instituebat, haud scio,
 an quisquam fuerit fortunator. Nam absq; diuina ope, vt
 mihi quidem videtur, nihil aggressus est: qui in bellis ab
 se contra Gothos & Sauromatas gestis victor fuit, & for-
 mam reipub. ad suum arbitrium tam facilē commutauit, vt
 alium senatum constitueret, aliam urbem suo nomine appel-
 latam, imperij primariam efficeret, atque religionem Genti-
 lium, quam tum magistratus imperii, tum subditi tam diu
 coluerant, simul vt aggressus est, exiguo temporis spatio de-
 leuit. Vbi verò de vita decesserat, corpus eius in loculo au-
 reo conditū, Constantinopolim transportatum est, & su-
 per feretrum quoddam in palatio positum. Cui idem ho-
 nios, idemq; obseruantiae modus ab aulicis tributus est, ac
 si vixisset. Vt primum autem Constantius, qui in Oriente
 versabatur, de patris morte certior factus est, properē Con-
 stantinopolim contendit, atque funere & exequiis regali-
 bus factis, eum in ecclesia nomine apostolorum nuncupa-
 ta sepeliuit: in qua quidem ecclesia Cōstantinus, dum vix-
 it, sepulchrum sibi construendum curauerat. Ab eo igitur,
 tanquam ex eius rei authore consuetudine ducta, imperato-
 res Christiani post mortem, Constantinopoli sepeliuntur,
 atque episcopi etiam: quippe cum dignitas sacer-
 dotalis imperii dignitati par sit, imo ve-
 rò in locis sacris primas
 partes obti-
 neat.

Secundi Libri Finis.